Quelle: http://manuscripta.at/?ID=31650
Copyright: Zwettl, Zisterzienserstift

Incipit prefatio epistole Ieronimi ad dalgasiam.

Filius meus apodemius qui interpretationem nominis sui longa ad nos veniens navigatione signavit. et de oceani litore atque ultimis finibus galliarum roma preterita quesivit bethleem. ut inveniret in ea celestem panem. et saturatus ructaret in domino ac diceret: Eructavit cor meum verbum bonum. dico ego opera mea regi. detulit mihi in parva scedula maximas questiones. quas a te datas mihique tradendas diceret. Ad quarum lectionem intellexi studium regine saba in te esse completum. que de finibus terre sapientiam venit audire salemonis. Non quidem ego salemon. qui et ante se et post se cunctis hominibus prefertur in sapientia. sed tu regina appellanda es saba in cuius mortali corpore non regnat peccatum. et que ad dominum tota mente conversa audis ab eo: Convertere convertere sunamitis. Etenim saba in lingua nostra conversionem sonat. Simulque animadverte quod questiuncule tue de evangelio tantum et de apostolo proposite. indicant te veterem scripturam aut non satis legere. aut non satis intellegere. que tantis obscuritatibus et futurorum typis involuta est. ut omni interpretatione egeat. que porta orientalis est de qua verum lumen exoritur. et per quam pontifex ingreditur et egreditur. et semper clausa sit et soli christo pateat. qui habet clavem david. qui aperit et nemo claudit. claudit et nemo aperit. ut illo reserante introeas cubiculum eius et dicas. Introduxit me rex in cubiculum suum. Preterea miratus sum. cur purissimo fonte evvangelico pretermisso mihi iam procul rivuli fluenta quesieris. et omissis aquis syloe que vadunt cum silentio. desideres aquas seor. vel desideres aquas reor. desideres sior que turbidis seculi huius viciis sordidantur. Habes ibi sanctum virum alethium presbiterum. qui viva ut aiunt voce et prudenti disertoque sermone possit solvere que requiris. nisi forte peregrinas merces desideres. et pro varietate gustus nostrorum quoque condimentorum te alimenta delectant. aliis dulcia placent. nonnullos subamara delectant. Horum stomachum acida renovant. illorum salsa sustentant. Vidi ego nausiam et capitis vertiginem antidoto qui appellatur ΠIKPA (pigra) sepe sanari. et iuxta hipocratem contraria contrariorum remedia. Itaque nostram amaritudinem cum illius nectareo melle curato. et mitte in maram lignum crucis. senilemque pituitam iuvenili austeritate compesce. ut possis leta cantare. quam dulcia gutturi meo eloquia tua. super mel ori meo.

Incipit textus huius operis. I.

Cur iohannes discipulos suos mittit ad dominum. ut interrogarent eum. tu es qui venturus es an alium expectamus. cum prius ipse de eodem dixerit. ecce agnus dei. ecce qui tollit peccata mundi. De hac questione in commentariis mathei plenius diximus. unde apparet que hec interrogas. ipsa te volumina non habere. Tamen perstringendum est breviter. ne omnino tacuisse videar. Iohannes mittebat discipulos suos in vinclis constitutus. ut sibi querens illis diceret. et capite truncandus. illum doceret esse sectandum. quem interrogatione